

Nehemiae facultas aedificandae Jerusalem, & erigendi muros & portas ejus, ab Artaxerxe Longimano, anno vigesimo regni ejus, juvante utriusque propolitus Esther. 2. Esdr. 2. 6. Seder-Ol. cap. 30. pluresque Rabb. Ab hac die edictum reaedificationis Jerusalem; non à primo Cyri decreto; qua de causa Daniel. 9. 25. dicitur: Ab exitu sermonis, ut iterum readificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duae erunt. Ita placet Adrichom. Ann. Mund. 3507. Brie-tioque Ann. 3600. & in Prolegom. quaest. 12.

Initium hebdomadarum Danielis.

Septuaginta hebdomadae nihil aliud sunt, quam septuaginta decades annorum septies replicatae, quae conficiunt 490. ann. Ex his si dimidium hebdomadis, seu tres annos cum dimidio sustuleris; occurret Christus patiens in medio hebdomadis ultimae, quatuor post paschata, fumente ultimae hebdomadae principium à Christi baptimate. Vide-fis Expositores fuisse in loc. cit. inter quos aliqui censent, principium hebdomadam sumendum à fine septuagesimi anni Babylonicae captivitatis; de quo praefati in illud Zachar. 1. 12. Domine exercituum, usquequod non misereberis Jerusalem & urbem Juda? Iste jam septuagesimus annus est. Mors Judae Machabaei in conflictu contra Bacchidem & Alcimum, refertur à R. ex 1. Mach. 9. 18. Adrich. ann. 3805. signat mensem, sed non diem. Vide fufius diem 28. n. 7.

Mors Judae Machabaei.

14 Anno 3. Christi à Reufn. signatur ejus complacentia erga infantes & parvulos, ex Marc. 10. 13. Certius, assertorem nostrum hac die proximum ultimae Paschati, rediisse ex Bethania in templum, in itinereque ficu: ficibus carenti, maledixisse; & vesperè rursus exiisse in Bethaniam. Alap. in Chronotax. n. 63. & Marian. in Diar. n. 3. Parabolam vineae proponit, ingratitude-nem agricolarum, audaciam eorum, non reverentium filium, ad illos missum, & illo-rum exitium; quo ab urbe discessit. Gil-land. & Castell.

Christi gesta.

15 Apud Romanos Hilaria, Matris Deum festa. Lamprid. Veneri tum à mulieribus sacrificandum. K. V. at de hujusmodi festis die 25. Aequinoctium, de cujus ferijs Auso-nius, Edyl. 26. v. 11. Quatuor illa etiam discretis partibus Anni Solstitia, & lucis nocte dieque pares. Spectaculum gladiatorum in Quinquatrijs. Vid. die 19. à n. 10. Rolin. 4. cap. 7. & Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. Apud illos inolevit cogitatio renovationis Phoenicis, quae fiebat Sole ingrediente Arietem. Plin. lib. 10. cap. 2. ubi vel ipse ridet allatum

Hilaria.

Quatuor tempora.

Auson.

Renovatio Phoenicis.

fuisse Romam. Etiam sacra Florae & Mercurio Kircher. Obelisc. Pamphil. lib. 3. cap. 11. Per Floram flores, per Mercurium tempus vernum signabatur; quo intuitus Mercurius pingebatur arieti insidens: idem ibid. sicut apud Chartar. in eo, suspensum à collo habens arietem: igitur Sole in Ariete, cuncta vernant. Columell. de Hortor. cultu, accinit:

Sacra Florae & Mercurio.

Ipsae suas partes adamat, & fetibus implet: Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus

Columell.

Ver agit: hinc hominum, pecudum, volucrumque cupido.

16 Statua dicata Virgini Vestali Maniliae. Volaterran. Commentar. Urbanorum, lib. 29. & in Republ. Roman. pag. 199. legitur: XII. Kal. April. statua collocata Flav. Manilia, V. V. Maxima, cujus egregiam sanctimoniam; & venerabilem morum disciplinam, in Deosque per-vigilem administrationem, Senatus laudando comprobavit. Hoc in die ann. V. C. 500. in Diar. signat Reufner. Triumphum Cn. Corn. Scipionis Aetiae, & C. Sempronij Blaesi de Poenis, quem sequitur Bucelinus. Falluntur. Constat ex Tabul. Capitolin. ut videbimus die 23. n. 14. ex Goltz.

Statua Maniliae V. V.

Triumph. Scipionis Aetiae, & Sempronij Blaesi.

17 Inter Graecos Jeros-Gamon sacrum, in memoriam nuptiarum Junonis & Jovis, qui pro dote pertulit mala aurea & poma pretiosa Hesperidum, ut videbimus Isagog. Decembr. n. 13. cui Jupiter concessit, ut etiam post congressum, modò lavaretur in fonte Canatho, denuò virginem fieri; de quo 8. April. Hujus festi, quod Graecè sonat Sacrum connubium, meminit Athen. lib. 6. Meurs. in Graec. Fer. & Castellan. de Fest. Etiam apud illos festum Horarum & Gratiarum, de quo supr. n. 7. & 21. Septembr. n. 4. quarum tempora describit Stuck. de Sacrif. Gent. cap. 26. Famà notabilis dies propter cladem Locrensiem in Euboea; ubi promontorium Caphareus, in qua insula, ductu Minervae (procellam excitantis, eò quòd Ajax Oileus in ejus templo Trojano Cassandra violavit. Unde Virgilius, 1. Aeneid. v. 43.

Jeros-Gamon.

Fons Canathus.

Horae & Gratiarum.

— Vetur satis? Pallastne exurere clifsem Argivum, arque ipsos potuit submergere Ponto Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei? Idem Strabo lib. 6. & Q. Calaber lib. 14. ubi refert Ajacem fulmine ictum (procella aestuante, frustra enatare conantem, at tritis unguibus in undis spirante) dum inter cautes erant naues, ut ibi alliderentur, sustulit dolo facem ardentem Nauplius, ultor

Virgil.

tor necis filij Palamedis, à Graecis astu Ulyssis interfecti; igitur cogitantibus lucem versus portum, inter vortices & cautes inevitabile invenere naufragium. Timaeus Locrus, Histor. lib. 2. astruit Ajacem evasile naufragium: Senecaque in Medea, à v. 659. & Agamemni. à v. 525. propter blasphemiam in Neptunum ab eo suffocatum cum Homero ait. Videfis Delr. hic, & quae dicta, 6. Januar. n. 23. Quod quidem contigit in aequinoctio vernali, ut ait Servius in illud Virgil. 11. Aeneid. v. 259.

Idem.

Sed triste Minerva.

18 Necdum quievit ira Minervae. Cum post tertium annum ob flagitium Ajacis, gravissima in Locride grassaretur pestis, oraculo cives edocti non aliter posse placari Minervam, quam sacrificio centum virginum quotannis, ad mille annos. Polyb. lib. 12. Duae tantum ex centum nobilitatis familijs forte mitti Trojam quotannis; asserunt Timaeus Siculus, 2. Histor. ex quo Natal. Comes, 1. Mythol. cap. 10. & Kircher. 1. Oedip. Capt. syntagm. 3. cap. 10. simulque Ludov. Nonnius in Goltz. Graec. Tabul. 18. Scientes Trojani votum, virgines Locrenses, obviam prodeuntes, si comprehendissent, Minervae mactabant, & corpora earum sterilibus lignis exurebant: si verò effugere quibant manus vigilum militum insidiantium ingressum illarum in Ilium (etenim ibi si pervenissent, immunes à nece) Minervae in templo inserviebant tonso capite, & nudo pede, ut refert Tzetzes in Cassandr. Lycophor. qui ibid. asserit, finito bello Phocico (de quo 8. Jun.) sub Philippo Amyntae, consummatum tempus sortis funesta: Plutarchus apud Nonn. d. Neque diu fuisse (inquit) quòd Locri Virgines destierunt ad Trojam mittere ob Ajacis libidinem. Hinc apud Locros effigiata Minerva in numismatibus, & ex altera parte stella refulgens, Goltz. d. quae stella lucida Arietis dicitur à Servio loc. cit. Minerva Arietis esse dignoscitur, sicut manubria Minervales fulmina in tempestates.

Virgines Locrenses.

Lucida Arietis tributa Minerva.

19 Apud Aegyptios pompa capitis Arietis, de qua ac pompae ritu agemus die 27. ut asserit Pherecides; igitur Kircher. loc. cit. hodie ex Aegyptiorum sententia sacra Ammonis signat, utpotè hieroglyphici Signi coelestis, vel imaginis Amun, sub cujus titulo Jupiter; quia Sol die 21. Arietem percutit radijs, quos mundus floret. Abenephius in Histor. Arabic. subdit: Ideo Aegyptij volentes indicare virtutem

Pompa capitis Arietis.

Tom. 1. Ephem.

Amun Dei, Praefidis mundi, Arietis pingebant figuram. Hinc inter hieroglyphica, erat caput humanum criomorphon, id est, cornibus arietinis conspicuum, cujus capiti canistrum impositum, in quo Delta seu Triangulus coelestis, cujus in medio littera M. Ita Kircher. in Prodrom. Copi. cap. 9. Obelisc. Pamph. lib. 4. hierogrammat. 2. & Georg. Herwart. in Thear. figur. 38. Aliter pingitur à Marc. Milelio: in figura ovali scilicet, prominente Arietis capite cornibus lucidis, deorsum globus flammeus scintillans, cum nominis Amun litteris, & signo Osiridis capite accipitrino; quasi Signum Arietis ingrediente Sole, terra caletieret, ac calore floreret & germinaret: de quo Kirch. loc. cit. lib. 2. cap. 6. litter. B. Diodor. Sicul. lib. 17. Herodot. lib. 3. Quint. Curt. lib. 4. cap. 7. alijque plures apud Freinshem. hic. Lucan. lib. 9. à v. 512.

Imagines Amun.

Stat corniger illic Jupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans, Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon. Quamvis Aethiopum populis, Arabumque beatis Gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon. Videlis latè die 27. à n. 15.

Lucan.

20 Celebris quoque dies inter Persas propter collectionem rosarum à Magis in conciliationem gratiae Principum. Si Princeps quispiam sacer vel profanus sit adeundus, quem tibi conciliatum velis, ut & te amet, & votis tuis favere, atque benigne respondeat; observandum esse caeli situm, cum Sol vel in Ariete vel in Leone gradu eo ascendente fertur, quem Luna lato felicique aliquo aspectu intrucatur. Hic tu phialam rosaeo nitidissimo plenam, in manum dextram sumens, facie adversus Solem conversa, summis pedibus insistsens, & phialam praeiens, in hac verba duodecies repetitione facta, voce clara orationem habeas: Salvere te jubeat Deus, à Planeta, tuo potens lumine, ac omnigena felicitatis fecundissime, qui tam formosus, tanque omnibus exoptatus, tam beneficus orvis radiorum diffusione micantissimus, &c. ait Pier. Valer. lib. 55. cap. 8. Vide Jul. Caesar. Bulenger. Advers. Magos, lib. 2. cap. 16. In propositum Virgil. de Rosa, accinit:

Collectio Rosarum.

Ros unus, color unus, & unum mane, duorum Sideris & floris est, domina una Venus.

Virgil.

Arbitrarer hoc potius fieri, quia inter Persas erat tempus nuptiarum. Nuptia (ait Ctesias in Persie.) in initio verni aequinoctij celebrantur. Sponsus in thalamum venit, comesto prius malo, vel cameli medula: praeter id nihil eo die.

Xxx

In

21 Inter Indos hodie fiebat circuitus pomposus in obsequium ac venerationem imaginum Numinum. India Genium antiqua consuetudo fuit ( inquit Scaliger de Emendat. tempor. lib. 5. ) nudos & decalvatos, magnisque ululatus personantes, simulacra demonum circuire, angulos osculari, & projicere lapides in acervum, qui quasi pro honore Dijs extruebatur. Faciebant autem hoc bis in anno, Sole scilicet existente in primo gradu Arietis, & rursus cum esset in primo gradu Libra, hoc est, initio veris & autumnii. Hac ergo consuetudo cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamque suo tempore apud Mecham in Veneris honorem Mahumeth reperisset; sic illam manere precepit. Decursu temporis inolevit superstitio, & in Mecha ( ubi ostenditur quadrata domus Mahumeth, ædificata primò ab Angelis ( ride ) & ab Adamo sæpe visitata, quæ ne aquis obrueretur in diluvio, translata fuit in sextum cœlum, habitaculum pacis, quò manet; igitur quæ ibi videtur, post diluvium ab Abramo fuit erecta, pristina omnino similis, quia umbra de cœlo ei missa est ) videres ( ait Gabriël Sionita in Arab. Repubi. cap. 7. ) nisi rideres potius, hominum turbam deosculantem atque amplectentem maximo cum ardore & affectu lapidem quemdam, quem Nigrum vocant. Ajunt enim hunc lapidem esse margaritam ex paradiso, cujus lumen universum Mecha territorium illustrabat, quo tamen ob hominum scelera denigrata est. Alij dicunt lapidem illum esse Lapidem Mnifurim, ex magia Zoroastris, & Chaldæorum superstitione: de quo Psellus de Operat. demon. & Gilbert. Gaulminus in Notis, inquit: Si ex demonibus verum aliquem sermonem audire cupias, aram appara, & sacrifica lapidem Mnifurim. Habet enim hic lapis vim advocandi majorem demonem, qui occultâ ratione materiali genio applicatus, rerum exquisitarum veritatem insuurrat; quam ille homini interroganti profert. Indicat enim nomen ipsum, quo in advocacione utendum est, una cum lapidis sacrificio. Credat Judæus apella. Vide Alap. in Proverb. 26. 8. & 10. Septembr. n. 7.

DIES XXII. MARTIJ.

XI. K. I Secundus Solis in Ariete gradus. in quo Cancer tergoze oritur: Auster flar. Ptol. Spica mane occidit. Kal. Pontific. Ambros. Novidij ex Fastis, & Reusner. cum Nicol. Leonico. Ricciol. in Almagest. ann. 424. ante N. Salvatoris ortum, sig-

Circuitus in honorem idolorum.

Templum Mecha.

Lapis niger

Mnifurim.

nat singularem Solis eclipsim. Qui sub hoccine horoscopo nati, maxime radiante stella benevola, erunt Duces: sin autem, contumaces & fures, & ad peregrinas transferent nationes. Jul. Firmic. Vir capite canino Levâ baculum gerens, dextrâ noctuam. Sph. Arab. A Francisc. Junctin. in Kal. Speculi Astrolog. Vespere oritur Lucida Corona.

2 Quinta dies orbis, in qua Deus exornat aërem avibus, & aquam piscibus, utrumque ex aqua producens. Genes. 1. à 20. Rabbini mirè jocantur legentes Cete grandia, v. 21. immò blasphemant. Fingunt duas balænas esse à Deo factas præ cæteris, masculum & fœminam: hancque illic occidisse, ac servare justis, ut cum Messia epulentur: masculum secum habere, ut cum eo certis diei horis singulis diebus ludat, juxta illud Psalm. 103. 26. Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Ita R. Eliezer in Pirke, Elias in Tisbi, & Abenezra in loc. cit. Genes. Etiam invenitur hujusmodi nugamentum 4. Esdr. 6. à v. 49. ex quo loco ab eis desumpta fabella, & à Talmudistis, Ordin. 2. tract. 1. distinct. 14. & Ordin. 4. tract. 8. Sugillantur ab Abulens. Lyran. Alapid. in loc. cit. Genes. à Genebrard. in Psalm. præf. n. 29. & A Sixto Senens. 2. Bibliothec. Litter. 1. in hoc die à Deo Abraham impositum præceptum de immolando Isaac, cum esset puer annor. 25. Rabb. Abrah. ex Genes. 22. à 1. Joseph. 1. Antiq. cap. 14. Etiam hodie post 112. ann. ab hoc præcepto, & 137. à nativitate Isaac, ut placet Briet. Ann. 2276. Esau fugiens, Jacob transijt vada Jordanis pauper & solus, uti dives revertens dixit: In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis egredior. Genes. 32. 10. & Adrich.

3 Post summersionem Pharaonis & salutem Israël gratias agentes Deo, tam hoc quam duobus seq. diebus egredientes de Mari-Rubro profecti sunt per desertum Sur ( in quo invenit Angelus Agar errantem, ut notat Hieronym. de Loc. Hebr. ) diciturque Numer. 33. 8. desertum Eham, distinctum ab Eham, 3. Mans. quia Eham sonat Forte vel Magnam, accepto nomine pro nominis expositione: igitur desertum illud magnum, cum per tres dies non invenissent aquam. Exod. 15. 22. Adrich. Genebr. & Leon. Mar. Ann. 41. ab egressu, notum fit Israëlitis præceptum de obeunda Jericho, & sit prima circuitio Civitatis, præcedentibus armatis filijs Israël Arcam fœderis, quam sacerdotes portabant, clangen-

Cete grandia.

Præceptum de immolando Isaac

Jacobus transijt Jordanem.

Prima circuitio Jericho.

gentibus ex his septem jubileorum buccinis: vulgus sequebatur etiam tubis personans, revertebanturque universi in castra. Josue, 6. à 1. Leonard. Mar. Adrichom. Serar. hic quest. 6. & 31. & Seder-Ol. cap. 11. Quia prima circuitio facta præsumitur à Josue die primo festivitatis Phasæ; expugnationem Jericho hac die perfectam autumat Haye, in Chronic. sacr. cap. 20. dicemus die 28.

4 Post 433. ann. ut aridet Turfelineo, Briet. & Saliano; serpit pestilentia in Israël, eò quod populum sanctum contra legem numerasset David: de quo Expositores confulesis. Prædixerat Gad Regi de peccato dolenti per tres dies: quam quidem elegit David inter tria mala, quippe Dominus vel flagellando multum misericors. Torniell. à n. 1. ex 2. Reg. 24. 15. & 1. Paralip. 21. à 11. Vid. 2. Jun. n. 8. Eodem die consilium Merodach, seu Mardokempadi, vel Nabopolassar, qui dicitur Nabuchus; victo Dejoce ( qui in Scriptura Arphaxad ) de universali Monarchia. Judith. 2. 1. Ab hoc Rege initium regni Babylonici, qui floruit usque ad Balthasarem interfectum per Darium Medum & Cyrum, Babylonis debellatores. Merodach fuit proavus Nabuchi magni, ut suis locis videbimus: de illo Briet. Ann. V. C. 75. inquit: Vir sine dubio magnus, & semper victor quantum bellum cum hominibus gessit. De illo asserit Genebrard. ann. 3440. unum fuisse ex decem, quos non percussit Angelus in exercitu Sennacherib. R. Salomon ex Talmudicis histor. in cap. 3. Daniel. non Merodach, sed Nabuchum magnum fuisse, asseruit.

5 Moritur in diebus messis hordeaceæ febre contractâ ab æstu Manafles vir Judith, qui sepultus in Bethulia cum patribus suis. Reuclin. ex Judith, 8. à 2. Occurrit Antilogia, quoniam cum occidisset hæc Holofernem 3. Augusti, ut videbimus, num. 4. ibid. v. 4. dicitur: Vidua jam annis tribus & mensibus sex. Ab hoc die usque in Augustum non sunt sex menses. Sanctius hic n. 1. cogitat, non hic numerari tempus à morte viri, sed illud quo cum viro vixit. Græc. textus necit discordantia: igitur legit, Annis tribus & mensibus quatuor. In Scriptura variè sermo in numeris incompletis.

6 Quandiu inter Philometorem & Asiæ Reges ( Demetrium Nicatorem, & Alexandrum Balæum ) gliscebant prælia ( ut relatatum, 22. Februar. à n. 6. ) Jonathas Machabæus cœpit cum suis obsidere arcem Sion, ut nihil à prædidiarijs paterentur in templum introeuntes. Opporunum tempus illi visum, quoniam disidijs intestinis haud Tom. 1. Ephem.

Pestilentia in Israël regnume David.

Merodachi consilium de Mardochia univover fali.

Evastit de clade Sennacherib.

Vir Judith moritur.

Antilogia.

Jonathas obsidet arcem Sion.

facile à Syria auxilium: at cum in solio sederet Nicator, à desertoribus religionis, qui eò confugerant, de re monitus; continuo excandens cum exercitu venit Prolemaidem, quò in judicium vocavit Jonatham; sed muneribus multis & pretiosis, quæ Regi obtulit, habitus est honorificè, & confirmatus in Pontificatu, addito à Demetrio in ejus gratiam, ut pro vectigali Judææ, & alijs Toparchijs, solverentur duntaxat trecenta argenti talenta. Die 22. Nisan expeditum privilegium; astitit Reuclin. ex 1. Machab. 11. à 20. Petr. Comestor, hic cap. 11. Joseph. 13. Antiq. 8. Adrichom. Ann. 3805. & Salian. 3909. cum Torniell. ibid. n. 2.

7 Tunc Demetrius ignorans ignem sub cinere latere, cunctaque sonare pacem, dimisit veteranum exercitum, cui præerat Tryphon, Dux inclutus, ac in bello nominatus, minuens emeritis stipendia, quibus regnum obtinuerat; retentis solummodo secum peregrinis, illos munice honorans, quos ex Creta attulerat. Unde invidiam sibi conciliavit apud indigenarum exercitum, cui vel tempore pacis stipendia numerabantur, ut hoc pacto milites alacriores fierent, ad subeunda pericula tempore belli. Indignati ergo milites commovebant Antiochenos in rebellionem, sed magis indignatus Diodotus, qui postquam regnum arripuit Tryphonis nomen sibi ascivit, ut notat Appianus, in Syriac. igitur exautoratum se cum milite gravissimè tulit. Quapropter cum pridem Alexandri Balæ esset amicus, & sciret in Arabia filium habere, cui nomen Antiochus Thæos, celeriter properavit ad nutritorem Emalchuëlem, ut puerulum sibi traderet; quoniam in throno patris collocare valebat, secum adversus Demetrium indignatum habens Syrorum exercitum veteranum. Ibid. à v. 38. Pro tunc Emalchuël non acquievit consilijs Tryphonis, qui in Arabia mansit, quousque nutritorem in consensum traxit, & puerum ejus fidei imprudenter credidit. Joseph. d. cap. 9. Gliscebant in Demetrium insidiæ, equidem corrupti etiam fuere Antiochiæ cives suggestionem Tryphonis traditâ notitiâ de filio Alexandri. Sanctius, hic, n. 22. Recuperato paterno regno, Demetrius ( ait Justinus Histor. lib. 36. ) & ipse rerum successu corruptus, vitijs adolescentiæ in segnitiam labitur: tantumque contemptum apud omnes inertia, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. Haud periculum effugisset, ni à Jonatha juvaretur, ut videbimus, 22. Jun. à n. 3.

8 Reusner. hac die præfigit Lazari mortem, Xxx 2

Fausus à Nicatore.

Tryphon ab illo desierit.

Et Antiocheni.